

Psalmus 110

Confitebor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consilio iustórum, et congregátione.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes eius.

Conféssio et magnificéntia opus eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, † miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hereditátem Génitium: * ópera mánuum eius véritas, et iudícium.

Fidélia ómnia mandáta eius: † confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen eius: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio eius manet in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Psalmus 111

Beatus vir, qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiae in domo eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténébris lumen rectis: * miséricors, et miserátor, et iustus.

Iucúndus homo, qui miserétur et cómodat, † dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátumcor eius speráre in Dómino, † confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despiciat inimicos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: † iustítia eius manet in sæculum sæculi: * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccator vidébit, et irascétur, † déntibus suis fremet, et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Glória Patri.

Psalmus 112

Laudáte púeri Dóminum: *
laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedí-
ctum, * ex hoc nunc, et usque in
sæculum.

A solis ortu usque ad occá-
sum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes
Dóminus, * et super cælos glória
eius.

Quis sicut Dóminus Deus
noster, qui in altis hábitat, * et
humília réspicit in cælo et in
terra?

Súscitans a terra ínopem, * et

de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípí-
bus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in
domo, * matrem filiórum
lætantem.

Glória Patri.

Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes
Gentes: * laudáte eum, om-
nes pópuli.

Quóniam confirmáta est super
nos misericórdia eius: * et véritas
Dómini manet in aetérnum.

Glória Patri.



Vi-ri Ga-li-læ- i quid aspíci-tis in cæ-lum? Hic Iesus, qui assúm-



ptus est a vobis in cælum, sic vé-ni- et, alle-lu-ia.

Capitulum

Act. 1


Czytanie

Dz. 1, 1-2

Primum quidem sermónem
feci de ómnibus, o Theóphi-
le, quæ cœpit Iesus fácere et do-
cère usque in diem, qua præcípí-
ens Apóstolis per Spíritum San-
ctum, quos elégit, assúptus est.

Pierwszą mowę uczynił, o
Theophile, o wszystkim co
począł Jezus czynić i uczyć: Aż
do dnia, którego rozkazawszy
Apostołom przez Ducha święte-
go, które obrał, wzięt jest:

Hymnus VIII



Æ-tér- ne Rex al- tíssime, Redémptor et fi-dé- li-um, Quo mors



so-lú-ta dé-pe-rit, Da-tur tri- úmphus grá- ti- æ:

Scandens tribúnal dèxtere
Patris: potéstas ómnium
Colláta Iesu cælitus,
Quæ non erat humánitus:

Ut trina rerum máchina,
Cæléstium, terréstrium
Et infernórum cóndita
Flectat genu iam súbdita.

Tremunt vidéntes Angeli,
Versa vice mortálium:

Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.

Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.


Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum *Patre et* Sancto Spírítu
In sempitérna sæcula. Amen.

Versiculus

℣: Eleváta est magnificéntia tua, allelúia.

℟: Super cælos, Deus, allelúia.

Ad Magn. Ant. II




O Rex gló- ri- æ, Dómine virtútum, qui tri-umphátor hó-di- e



super omnes cælos ascendí- sti: ne de-re-línquas nos órpha-



nos, sed mitte promíssum Patris in nos Spí-ri-tum ve-ri-tá-tis,



alle- lu-ia. C.: Magní-fi-cat.

E u o u a e.

Magníficat, * ánima mea
Dóminum

Et exsultávit spíritus meus * in
Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem
ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc
beátam me dicent omnes gene-
rationes.

Quia fecit mihi magna qui po-
tens est: * et sanctum nomen eius.

Et misericórdia eius a progé-
nie in progénies * tíméntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio

suo: * dispérsit superbos mente
cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, *
et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * et
dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel, púerum su-
um, * recordátus misericórdiæ
suæ.

Sicut locútus est ad patres
nostros, * Abraham, et sémini
eius in sæcula.

Glória Patri

Kyrie.

Pater noster.

Oratio

Concède, quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui hodierna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cælos ascendisse crédimus, ipsi quoque

mente in cæléstibus habitémus. Per eúndem Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.
℞: Amen.

Organum



℣ Be-ne-di-ca-mus Do-mi-no. Al-le-luia, alleluia, al-le-lu-ia - -
℞ De-o - - gra-ti-as. Al-le-luia, alleluia, al-le-lu-ia - -

